

veatur, ne legitimitati per matrimonium admittantur ad primogenituram, & majoratus. 2. Excipe *Cardinalium* S. R. E. ad quem legitimitati non admittuntur ex *Const. Sixti V. Postquam 1590.* An vero legitimitas in primogenitura præferatur primogenito ex intermedio matrimonio nato, controvertunt DD. Negative subscripti in meis *Disp. civ. Disp. 9. Contrav. 46.*

16. Q. VII. *Qui illegitimi, & quo modo legitimari possunt per rescriptum Principis?* R. 1. Omnes illegitimi, etiam spurii sint, rescripto principis natalibus restitui possunt: nam sicut principis auctoritate inducitur, ita eadem tolli potest defectus natalium. Ac proinde modus iste amplior est, cum se extendat etiam ad spurios, sed modus legitimandi per matrimonium est favorabilior, & efficacior, ut ex dicendis patebit. Porro potestas legitimandi per rescriptum soli principi competit, ut Papa, Imperatoribus, & Regibus: ceteris vero ex privilegio, ut Electoribus S. R. L. Comitibus palatinis, & Apostolicæ Sedis Legatis secundum modum sibi præfixum: & ideo Comes palatinus non possunt legitimare filios nobilium, nec ad feuda, & majoratus.

17. R. 2. Ad legitimandum per rescriptum requiruntur seqq. 1. Ut legitimandus sit subditus legitimantis *cap. 13. hoc tit. 2.* Ut consentiat in sui legitimacionem, eamque pater per libellum supplicem petat, vel saltem in testamento *Nov. 74. cap. 2. §. 1. Nov. 89. cap. 9. §. & cap. 10. 3.* Ut legitimari non possit per subsequens matrimonium, *ibid.* quia habito remedio ordinario, non est recurrendum ad extraordinarium.

4. Ut nulli adint liberi legitimi: quia in eorum præjudicium princeps non censetur legitimare *cit. Nov. 74. cap. 1. & 2.* Si tamen princeps vult procedere de potestate absoluta, conditiones istæ non sunt necessariae.

18. R. 3. Effectus legitimacionis per rescriptum sunt tantum illi, qui subsunt potestati principis. Unde 1. Legitimus per rescriptum Papæ fit habilis ad Ordines, & officia Ecclesiastica, exceptis illis, quæ requirunt legitimam nativitatem, sicut episcopatus *c. 7. princ. de elect. Canonicatus in Germania, officium Auditoris in Rota Rom.* Et quamvis Papa subditos suos legitimare possit ad officia secularia, non tamen subditos aliorum principum; nisi via extraordinaria in casu gravissima necessitatis, & in favorem fidei. 2. Principes politici suos subditos legitimare possunt ad officia secularia, alioque effectus politicos, non tamen ad Ordines, & beneficia Ecclesiastica. An vero legitimatus a suo principe habendus sit pro legitimo in territorio alterius principis, controvertunt DD. Assertiva videtur satis probabilis: quia illegitimitas, cum cum non sit jure naturali constituta, inducitur a proprio principe, ergo ab eodem tolli potest: senel autem sublata, non reviviscit in alieno territorio.

19. Q. VIII. *Ad quem judicem spectet questio natalium?* R. Ad Ecclesiasticum privative, sive de illa agatur principaliter, sive incidenter, *cap. 5. 7. h. tit. nam questio ista est spiritualis pendens a valore matrimonii, de quo cognoscere est solius judicis Ecclesiastici.* Unde si apud juslicem laicum tractatur causa principalis de hereditate, alimentis &c. & incidit questio natalium, debet superferre in causa principali, donec ecclesiasticus cognoscat questionem incidentem de natalibus, *cit. c. 5. h. tit. nisi esset mera questio facti, vel nisi questio esset super legitimacione per rescriptum principis.*

TITULUS XVIII.

Qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari?

Agitur de hac materia in Decreto 35. q. 6.

1. Q. I. *Quis sit ordo accusantium matrimonium?* R. 1. Si agatur ad impediendum matrimonium futurum, omnes de populo admittuntur, denuntiantes impedimenta, ut peccatum præcaveatur. 2. Si agatur ad divortium quoad vinculum ex causa impotentiae perpetuae, soli conjuges admittuntur; quia, si velint, cohabitare possunt ut frater, & soror *c. 5. de frigid. idem die si agatur ex causa erroris personæ, conditionis servilis, metus.* Si vero agatur ex causa consanguinitatis, affinitatis, publicæ honestatis, aut alia simili, præce-

teris admittuntur, qui meliorem notitiam impedimenti habent, ut parentes, consanguinei, vicini, *Can. 1. & seqq. 35. q. 6. & cap. 3. hoc tit.* Si tandem ex alio impedimento agatur, admittuntur quicumque alii veraces, præsertim quorum interest *cap. 1. de his, que vi, ubi priorista cum fororibus impugnat matrimonium ut invalidum ratione professionis religiose.* Si agatur ad divortium quoad habitationem, & thorum, regulariter solus conjux innocens admittitur; cum istius tantum interest, & si velit, injuriam possit remittere, *cap. 5. de procurat. cap. 25. §. illud de jurejur. c. 4. de adult. 4.* Si agatur criminaliter ad pœnam adulterii, quilibet mas de populo, 25. annis major admittitur ad accusandum, cum adulterium sit crimen publicum *tit. ff. & C. ad l. Jul. de adult.* Rejiciuntur autem ab accusatione matrimonii dissolvendi pecunia corrupti, & qui post denuntiationes publicas impedimentum non manifestantur; nisi causa absentia, vel alia eos excuset: item absentes, qui per litteras accusare non permittuntur; nisi alia adminicula eis sufficiant *c. 2. §. h. r. Can. 5. per scripta 2. q. 8. &c.*

2. Q. II. *Qui testes admittantur contra matrimonium in facie Ecclesiæ contractum?* R. Illi præ ceteris, qui meliorem notitiam impedimenti habent; modo non sint suspecte fidei, *cap. 47. de testib. unde etiam parentes, & consanguinei admittuntur, etiam si deponant pro sustinendo matrimonio, etique creditur, nisi ex circumstantiis testimonium eorum reddatur suspectum; ut si nimis cupiant matrimonium sustineri; vel si sponsa petat in virum aliquem se longe majorem divitiis, nobilitate &c. Rejiciuntur autem a testimonio contra matrimonium, quorum fides non est integra; ut si pecunia sint corrupti &c.*

3. Q. III. *Quo tempore accusatio matrimonii sit instituenda?* R. Quocumque tempore; cum impedimenta matrimonii nulla præscriptione tollantur, neque matrimonium cum his initum convalescat, aut sententia super illo lata transeat in rem judicatam *cap. 7. de sent. & re judic.* Si tamen conjuges sint mortui, actio contra legitimatam prolium præscriptione extinguitur post 30. annos.

4. Q. IV. *Quæ causæ matrimoniales pertineant ad forum judicis ecclesiastici?* R. Seqq. matrimonii, & sponsalium natura, qualitas, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum, & conjugum jura, & reciproce obligationes, impedimenta, legitimitas, & legitimatio prolium per matrimonium, dissolutio, & reintegratio sponsalium, & matrimonii, dispensatio impedimentis, & quæcumque alia causa involvens questionem juris super matrimonio, & sponsalium contractu, privative spectat ad judicem ecclesiasticum *cap. 3. de ordin. cognit. cap. 5. qui filii legit. idque sub anathemate definitur Trident. Sess. 24. Can. fin. Judex autem iste est Papa in tota Ecclesia, & quilibet Ordinarius in sua diocesi, vel eorum delegati, aut qui ex privilegio habent jurisdictionem cognoscendi causas spirituales, *cap. 12. de excess. Prælat. Trident. Sess. 24. cap. 20. vers. ad hæc causæ matrimoniales, & c. de reform. ubi ad hoc judicio excluduntur decani, archidiaconi, & alii inferiores Episcopo, seu ordinario.**

5. R. 2. Causæ matrimoniales temporales per se spectant ad forum judicis secularis; uti causa dotis, donationum propter nuptias, hereditaria successione, alimentorum, ventris inspicendi &c. si tamen talis causa incidenter moveatur apud judicem ecclesiasticum, ab eo utique cognosci potest, cum ecclesiasticus non sit incapax ad cognoscenda temporalia, sicut laicus incapax est ad spiritualia. Vide dicta *tit. de judic. & tit. de for. comper.*

TITULUS XIX.

De Divortio.

Agitur de hac materia in Decreto 28. *quest. 1. 2. & 32. quest. 6. 7. & Can. 9. ab isto 35. quest. 6. & quest. 9. fere per tot. Trident. Sess. 24. Can. 7. 8. In Pandectis libr. 24. tit. 2. 3. In Codice libr. 5. tit. 17. 18.*

1. Cum ad accusationem matrimonii sequatur divortium, seu separatio conjugum, recte hic agitur de divortio, quod triplex est: 1. Divortium, quoad vinculum.

2. Divortium perpetuum quoad thorum, & cohabitationem, & 3. Divortium temporale quoad thorum, & habitationem. Et quamvis ex matrimonio invalide contracto nullum oriatur vinculum juris, sed præficti facti: quia tamen in foro fori inter contrahentes putatur esse quoddam retinaculum, ideo etiam istud dissolvi debet, seu potius declarari matrimonium esse nulliter, & sine effectu contractum.

2. Q. I. *Quo modo dissolvendum sit matrimonium nulliter contractum?* R. 1. Ad hoc necessaria est auctoritas Ordinarii, vel alterius legitimi judicis: secus conjux propria auctoritate recedens, compelli debet obtemperandum, *c. 13. v. quod si de resit. spoliat.* nisi notoria esset nullitas matrimonii. 2. Nullitas matrimonii probanda est, non per rumores, sed saltem per duos testes omni exceptione majores *c. 5. de eo, qui cognov. c. 22. de testib.* tum quia causa dissolvendi matrimonii est gravissima; tum quia caveat debet, ne ex collusionem partium dissolutio fiat cum magna irreverentia sacramenti, ad quod requiruntur testes omni exceptione majores: licet aliquando dum agitur ad impediendum matrimonium, & vitandum peccatum, sufficiat unus testis denuntians impedimentum. 3. Posita plena probatione, & per exceptiones non infirmata, judex pronuntiat matrimonium esse invalidum: ac proinde separat conjuges, si aliud non obstat, dat licentiam transcendi ad alias nuptias. Si vero plena probatio non est allata, judex pronuntiat pro valore matrimonii, utpote causæ favorabilis *argum. cap. 22. de testib. atque in foro externo matrimonium est validum.* At in foro interno, si ambo, vel alter conjugum certam habet notitiam impedimenti dirimentis, non debent, imo nec possunt parere sententia judicis, exigendo, & reddendo debitum, vel cohabitando, si periculum sit incontinentie; quia hoc non est aliud, nisi fornicari, & peccare, quod prohibet jus naturale, utique presentem falsæ sententia judicis. Imo si compellantur per censuram excommunicationis, hæc potius humiliter sustinenda est, quam Deus offendendus: ita decisum est *c. 13. de resit. spoliat. c. 44. de sent. excom.* Unde in hoc casu arduo pars conscia impedimenti potest, imo tenetur occultam dispensationem perere a Papa, si bono proliis, vel alia gravis causa id postulet, modo sit impedimentum dispensabile.

Ex *Const. Bened. XIV. Dei misericordie 3. Nov. 1741. notandum.*

1. Quod cognitio causarum matrimonialium extra romanam Curiam pertractandarum committi nequit, nisi Episcopo, præsertim viciniori: est nullus sit Episcopus, committi debet nisi ex judicibus synodalibus, *j. x. a modum ab eodem Pontifice præscriptum in litteris encyclicis locorum Ordinariis scriptis sub die 26. Augusti 1741.* Quamvis patet: Et hujusmodi cognitio nunquam finienda est, nisi post duas sententias conformes super nullitate matrimonii; sive post primam appellatum sit, sive non, sub penis, ut infra incurrendis.

II. In singulis diocesis eligendus est ab Episcopo defensor matrimonii; est fieri potest ex ecclesiastico catu, ad ipsius Episcopi arbitrium removendus, cum mercede, si id munus gratis obire nolit, ei constituenda ab ipsius cause judice, & solvenda ab ea parte, que pro validitate matrimonii agit; si ipsi facultas sit: sin minus a judice prima, vel secunda, vel tertia instantia respectivo ex pecunia nullarum suorum tribunalium. Quando vero judices causa erunt judices commissarii carentes foro, & multis, tunc solvenda est ex pecunia nullarum illius Episcopi, in cujus diocesi dicti judices juxta S. Sedis mandatum judicium exercebunt.

Hunc defensorem statuit Pontifex esse tamquam partem necessariam ad iudicium validitatem; ideoque semper citari, & desse debere in iudicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit; sive ambo quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant; teneantque ne dum præstare juramentum de fideliter suo munere obervando, quando ad hoc deputatur, sed etiam testes, quoties adesse debebit in iudicio pro alicujus matrimonii validitate tuenda.

Ejus autem munus in eo sum est, ut-Si a judice matrimonii validitate judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque R. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

etiam fervetur, si a judice secunda instantia pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex prima instantia de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor intra legitima tempora appellabit adherens parti, que pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium, subsistat, vel si adit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, & partium, interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus; ut non solum ferventur, que adversus eos, qui matrimonium contra interdictionem Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt; præsertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoad usque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum; vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujusmodi, omnibus penis contra polygamos a sacris Canonibus, & Constitutionibus apostolicis Constitutis omnino subjacent.

Postquam vero, appellacionis beneficio, ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, & singula quæcumque coram judice in prima instantia servanda præstita fuerint, etiam coram altero in secunda, exacte, ac diligenter custodiantur, citato in quolibet iudicij actu defensore matrimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Esti judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis apostolicæ Nunciatus, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandatos, ut que a nobis superius constituta sunt, peragere possit. Si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede apostolica cause cognitio demandata sit, & qui tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defensore matrimonii; volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diocesi causam cognosceret, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

In iudicio autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda, æque, ac in prima nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, & ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellacionem interpositam prosequendam minime censuerit; in potestate, & arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquid impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, que ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam: sed si nova res, que non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumii possunt, & rursus in iudiciale controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet; vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanate; volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transcendi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, penis, ut præsertur, a nobis constitutis subesse decernimus; causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, que a nobis in prima, & secunda instantia demandata fuerint, nempe, in quolibet iudiciali actu, citato, & auditio defensoris matrimonii, qui a judice tertia instantia deputatus fuerit.

Quoad causas matrimoniorum Rome disceptandas præcipit, omnia, & singula supra præscripta servanda esse. Verum cum hæc sit particularis curia, vide peculiariter, que sequuntur in *cit. Constit. a. §. 13. ad totum §. 15.*

L

3. Q. II.

3. Q. II. An, & quomodo vinculum matrimonii rati dissolvi possit? R. 1. Vinculum matrimonii rati, & multo magis consummati de jure naturali, seu ab intrinseco, de jure divino, & pontificio est indissolubile: ita quoad rem communis, & vera sententia contra Michaelen de Medina, quem secuti sunt aliquot inferioris note Juristae, minus caute docentes, matrimonium ratum solo jure ecclesiastico esse indissolubile Prob. 7. pars ex Gen. 2. v. 22. & seq. quem textum explicans Trid. S. 24. per indistincte ait: *matrimonii perpetuum, indissolubileque nexum primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* &c. Idem docet Bonif. VIII. c. unie. de voto in 6. atque praeter praecipuum de pomo non comedendo nullum aliud praecipuum fuerit in paradiso; ergo matrimonium quoad suam essentiam est de jure naturali, & ab intrinseco indissolubile: Ratio est, quia matrimonium ex sententia, & definitione sua importat perpetuam vitae consuetudinem, & societatem, ut omnes gentes bene moratae agnoverunt, definiens matrimonium, quod sit viri, & mulieris conjunctio, *individuum* vitae consuetudinem continens. §. 1. *Inst. de parria potest.* ergo matrimonium jure naturali, & ab intrinseco est indissolubile, & indissolubile; siquidem, quod ab intrinseco contractui competit, id jure naturali competit, sicut est translatio domini in mutuo, jus utendi in commodato &c. Prob. 2. pars de jure Div. Matth. 18. *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Marci 10. & Luc. 16. *qui dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, machatur,* & Rom. 7. *Mulier, vivente viro, alligata est legi,* & 1. Cor. 7. *praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere;* qui textus generales indistincte procedunt de matrimonio tam rato, quam consummato; ergo matrimonium de jure divino est indissolubile. Tertia pars de jure pontificio a nullo negatur, & constat ex c. 2. & seq. h. t. & a libi passim. Doctores alii huic sententiae non contrariantur, quia id solum volunt, quod matrimonio jure naturali non competit absoluta, & omnimoda indissolubilitas, ita ut in nullo casu dissolvi possit, & ex parte materiae mutari; & ideo dicunt esse indissolubile jure naturali *conditionato*, hoc est, quod ex natura sua tantum sit indissolubile, quamvis per legitimam potestatem non ponitur in his circumstantiis, in quibus dissolutio illius cohonestetur, & materia a praecipio naturali subducatur. Quod sane verum est, & doctrina ista generaliter procedit in omnibus praecipis naturalibus, quorum materia mutabilis, & in certis circumstantiis cohonestabilis, est maxime respectu habitus ad supremum dominium divinum, cum Deus jus dare possit in vitam innocentis, in corpus solute, vel conjugate, in aliena bona &c. His praeterelectis, colligo 1. quod Deus dissolvere possit matrimonium, non tantum ratum, sed & consummatum, non obstante naturali ipsius indissolubilitate: quia sublato jure conjugum, quod utique subest dominio divino, defectu materiae cessat obligatio juris naturalis, utpote non habens materiam, super qua cadat, Ex quo capite in lege Moysis maritus per libellum repudii, non propria privata, sed auctoritate Dei dissolvebat matrimonium etiam consummatum. Hodie, sublato per Christum libello repudii, indissolubilitas naturalis restituta est matrimonio. Colligo 2. nec judaicos, nec gentiles hodie posse dissolvere matrimonia etiam legitima tantum, non consummata; quia jure naturali ligantur, uti & divino, quo libellus repudii sublatus est. Dices: Patres dicunt matrimonium esse indissolubile, quia sacramentum est ex Ephel. 5. & cap. 7. hoc rit. & Can. 15. cum seq. 27. quest. 2. & Can. fin. 28. quest. 1. ergo indissolubilitas non competit matrimonio ab intrinseco, sed ab extrinseco ratione sacramenti. R. Argumentum istud nimis probare, quod scilicet matrimonium ratum, quod proprie est sacramentum, non dissolvatur per professionem religiosam, bene vero consummatum, quod proprie sacramentum non est; item quod matrimonia infidelium, cum non sint sacramenta, valide ab illis dissolvantur, quae omnia sunt falsa. Unde auctoritates istae sane sunt intelligendae, quod scilicet matrimonium consummatum Christianorum nulla potestate humana fit solubile, quia

est sacramentum, hoc est mysterium; seu signum speculativum significans insolubilem unionem Verbi Divini cum Ecclesia per carnem, vi cuius significationis adeo confirmata est naturalis insolubilitas matrimonii, ut hoc nulla humana auctoritate dissolvi possit: quod non habet matrimonium ratum, nec consummatum apud infideles, cum horum matrimonia dissolvi possint in illo casu, quo uni converso ad fidem, alter citra contumeliam Creatoris cohabitare non vult. Ex hisce-tera argumenta levia facile dissipantur.

4. R. 2. Matrimonium ratum quoad vinculum dissolvitur per professionem religiosam, idque jure divino, seu ex speciali privilegio Christi: 1. pars sub anathemate definita est a Trid. sess. 24. Can. 6. *si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solennem Religionis professionem alterius conjugum non divini, anathema sit: idem habetur c. 2. 14. de cono. conjug. Extrav. un. Joann. XXII. de voto, ubi vis ista attribuitur professioni religiosa; negatur vero SS. Ordinibus. 2. pars est Domin. Soto, Salmat. Sanchez l. 2. de matr. dissol. 19. n. 3. cum cct. contra pleuroque RR. docentes id fieri solo jure Ecclesiastico, & contra S. Bonav. Palud. & alios refundentes vim istam in jus naturale. Prob. 1. Professio religiosa jure naturali non solvit vinculum matrimonii rati: nam hoc jure matrimonium ratum est insolubile, imo impediatur valorem professionis: siquidem homo per matrimonium uxori traditus, non habet potestatem tradendi se alteri, cum nemo det, quod non habet, 2. Neque professio merito jure ecclesiastico matrimonium ratum dissolvit: tum quia nullas Canon id asserens ostendit potest: siquidem Eusebius Papa Can. 27. *dissolutam* 27. q. 2. non condit novum jus, sed secundum antiquum pronunciat, desponsatam puellam posse sibi monasterium eligere; tum quia non est credibile, quod Ecclesia concederet legem contra jus naturale, & voluerit alteri conjugi jus quatuor tollere; tum quia Adversarii docent, Ecclesiam non posse condere legem, qua matrimonium ratum dissolvatur; ut patet ex illa opinione hodie improbabili, docente, quod Papa possit condere legem, qua matrimonium ratum solvatur per subsequentes consummatum: sed si professio religiosa merito jure Ecclesiastico solveret matrimonium ratum, jam fuisset condita lex pro eo solvendo, ergo: tum denique, quia jus ecclesiasticum abrogari potest per contrariam consuetudinem. c. fin. de consuetud. vel per contrariam legem, sed nec consuetudo, nec contraria lex induci potest, ut professio religiosa non solvat matrimonium ratum, sicut illud non solvunt vota simplicia Societ. Jesu; id enim adversatur exemplis Sanctorum, doctrinis Patrum, communi fidelium opinioni, & praxi continuo in Ecclesia observata; ergo. Prob. 3. directe de jure divino, non tam scripto, quam tradito; nam quod in Ecclesia semper observatum est, & non constat ab Ecclesia conditum fuisse, recte refunditur in jus divinum, & institutionem Christi; sed semper in Ecclesia observatum fuit, quod professio Religiosae dissolveret matrimonium ratum, idque adeo insolubile ab Ecclesia conditum fuisse non constat, imo exempla Sanctorum a nuptiis ad statum religiosum convalentium, uti S. Thecle, S. Alexii, S. Caecilie, & aliorum reducuntur ad vocationem, & instinctum Spiritus Sancti, c. 2. de convers. conjug. ergo: tum quia Alex. III. c. 7. ex publico eod. docet matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi secundum interpretationem sacri eloquii & Innoc. III. c. 14. eod. non revocat se ad legem ecclesiasticam, ut alias solet, sed ad vestigia suorum Antecessorum, qui statim a principio tanquam divinum traditionem tenuerunt vinculum matrimonii rati solvi per professionem religiosam. Ratio congrua est, quia cum Christus instituerit statum religiosum sibi gratissimum, cumque nuptiis, & statui conjugali praeferret, merito credendum est, etiam hoc privilegium speciale ei contulisse, ut per illius professionem solveretur vinculum matrimonii rati, non tamen consummati, quia huic Christus alligavit significationem suae unionis cum Ecclesia. Ex his soluta manent argumenta contraria. Vide dicta supra tit. 6. n. 6.*

5. R. 3. Vinculum matrimonii rati dissolvi potest dispensatione apostolica, modo adit gravis, & publica causa: ita hodie com. sent. contra Scot. Sotum, Pont. Reiff. &c. Prob. ex Math. 16. v. 18. & Joan. ult. B. Petrus,

trus, ejuque Successores acceperunt a Christo generaliter potestatem ligandi, atque solvendi; sed sub hac generali potestate continetur etiam haec particularis potestas dispensandi in matrimonio rato; tum quia haec potestas videtur necessaria ad suave Ecclesiae regimen, & salutem animarum; tum quia Pontifices facto suo declararunt sibi hanc potestatem competere, cum plures in matr. rato dispensaverint, ut Greg. VII. Paul. III. & V. Gregor. XIII. & alii, ut memorant historiae: neque est credibile eos in hoc facto errasse, cum mature procefferint, & cum deliberatione pravia, sicut Clem. VIII. 16. Jul. 1599. habita super hoc speciali congregatione; tum denique quia fideles pietate, & doctrina praestantes id continuo docent, & instar traditionis divinae tenent, quod Christus Dominus eam potestatem dederit suo in terris Vicario *art. cap. 2. & fin. de translat. ergo.* Quod vero ad valorem hujus dispensationis requiritur causa justa, gravis, & regulariter publica, patet ex generali doctrina, quod inferior sine justa causa non possit valide dispensare in jure superioris *cap. inferior d. 20. sed Papa est inferior jure naturali, & divino, quo vinculum matrimonii rati est insolubile, ergo.* Tales causae sunt: nimia inaequalitas sponso- rum in statu, ex qua timentur tristissimi eventus, timor gravium scandalorum, inimicitiarum, bellorum inter principes, superveniens impotentia in familia, per quam pro regni felicitate stigma propagari debuit &c. Dices: Matrim. ratum est jure naturali insolubile, sed Papa non potest dispensare in jure naturali etiam conditionato; alias etiam dissolvere posset consummatum, ergo. 2. Sequeretur, quod etiam princeps laicus in matrimonio rato subditorum infidelium dispensare possit. 3. Antiqui Pontifices nunquam dispensaverunt; imo se non posse dispensare fatebantur *can. 25. & seq. 22. q. 7. & c. 7. de convers. conjug. & c. 14. eod. ibi nisi forte secus fieret ex revelatione divina, que superat omnem legem, & teste Abb. Innoc. VIII. respondit, se non posse dispensare. R. ad 1. Dist. m. sic clare constat generalem potestatem eo se non extendere, C. m. fecus N. m. Licet enim matrimonium ratum ab intrinseco, & de jure naturali conditionato non sit solubile, tamen ab extrinseco solvi potest potestate a Christo accepta, sicut & relaxari possunt vota, & juramenta. Sic Angelus ab intrinseco est incorruptibilis, & tamen ab extrinseco per virtutem divinam destrui potest. Paritas a matrim. consummato non urget: nam ei jure div. alligata est significatio unionis perpetuae Christi cum Ecclesia per carnem, ob quod magnum sacramentum Ecclesia semper tenuit, & tenet matrimonium consummata fidelium non posse dissolvi per professionem religiosam, vel dispensationem pontificiam, licet dissolvi possint per Deum, cum Deus jus suum possit, & jus naturale conditionatum relaxare possit. Haec autem ratio non currit in matrimonio rato, quod ad summum significat unionem Christi cum anima per gratiam, & charitatem, pro hoc statu vite solubilem. Ad 2. Neg. seq. quia non constat principi laico hanc potestatem esse datam. Ad 3. Non omnia, quae in Ecclesia facta sunt, scripta habemus. Dum Pontifices dicunt, se non posse dispensare, verum est, si deficiat justa, & gravis causa, sine qua valide non dispensatur in jure naturali, & divino. Can. 25. procedit de matrimonio consummato; vel si de rato, causae ibi allegatae non erant sufficientes ad dispensandum, cum justitia, & sufficientia causae maxime desumenda sit ex circumstantiis; praesertim si ob aliam causam alio- tiorum non expedit dispensatio bono publico. c. 7. & 14. cit. in quo proponitur dubitatio de solutione matrimonii rati, dicit quidem illud dissolvi posse per professionem religiosam; dispensationis vero apostolicae non meminit, quia de hac non fuit ulla questio. Dices: Trid. S. 24. pr. postquam dixisset, matrimonii nexum esse perpetuum, & indissolubile, nihil aliud excepit, nisi solam professionem religiosam, quod per hanc dissolvatur matrimonium ratum fidelium *can. 6. ibid.* ergo manifeste excludit omnem alium humanum modum, quo posset solvi matrim. ratum. R. nego conf. nam ex definitione Trid. plus non sequitur, nisi non esse de fide; Papam dispensare posse in matrim. rato, sicut de fide est illud solvi per professionem religiosam.*

6. Q. III. An vinculum matrimonii consummati dissolvi possit? R. 1. Matrimonium consummatum fide- P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

lium nulla in terris potestate dissolvi potest: ita omnes Cathol. ex verbis Christi *Matth. 19. v. 6. Quod Deus conjunxit, homo non separet;* quae verba quo ad omnimodam indissolubilitatem intelligenda sunt de matrimonio fidelium consummato, ut docet Alex. III. c. 7. *in fin. de controvers. conjug. & Patrespassim.* Unde 1. Vinculum matrim. consummati non solvitur ex causa moleste cohabitationis, haereticis, absentiae alterius conjugis, adulterii, vel alia simili: ita definit Trid. S. 24. *can. 5. & 7.* idemque docent antiqui canones in *causa* 32. q. 6. & 7. per tot. nam Christus clare dicit *Marci 10. v. 11. quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium commisit super eam, & Luc. 16. v. 11. omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, machatur;* & 1. Cor. 7. v. 10. *His, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ergo, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, puta ex justa causa, v. g. fornicationis viri, manere inimpium, aut viro suo reconciliari. Ratio est, quia Christus voluit per matrimonium consummatum significari indissolubilem unionem suam cum Ecclesia per carnem; tum quia multa mala ex tali dissolutione sequerentur: videlicet malum prolis, damnus alterius conjugis, & via lata aperiretur adulterii, ut per illa matrimonia solverentur. 2. Matrimonia Haereticorum valde, sunt omnino post consummationem insolubilia: nam pro his militat eadem argumenta. Nec obest, quod Haeretici etronae, & speculative tenent matrimonia non esse Sacramenta: sed ex conventionione dissolvi posse; nam praetice habent intentionem generalem contrahendi matrimonia, sicut in Ecclesia Christi contrahuntur: & sic eos contrahere omnino praesumitur, quia quique praesumitur inire matrimonium validum potius, ex quo legitimos liberos habeat, quam invalidum. Si tamen haereticus tam malitiosus foret, ut noller aliud matrimonium contrahere, nisi solubile, nihil ageret, quia apponeret conditionem solubilitatis contrariam substantiae matrimonii; & conf. invalide contraheret *cap. fin. de cond. apposi.* 3. Matrimonia consummata conversorum ad fidem non possunt dissolvi auctoritate Papae, nam suscepto baptismo, statim modo insolubili significant unionem Christi cum Ecclesia per carnem *c. 5. de bigam.* ex qua significatione oritur summa ista insolubilitas.*

Dices: 1. *Matth. 5. v. 31. Christus ait: omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam machari;* & qui dimissam duxerit, adulterat, idem repetitur *c. 19. v. 9.* ubi Christus interrogatus, respondit de dissolutione vinculi matrimonialis, sicut fiebat per libellum repudii. 2. Eadem solubilitas innuitur *Can. 17. & 23. causa 32. q. 7. & Can. 6. si qua mulier 31. q. 1.* ergo R. ad 1. Verba ista, ut concordent cum verbis aliorum Evangelistarum, recte intelliguntur de dimissione quoad thorum, & cohabitationem, estque sensus: qui sine justa causa fornicationis dimiserit uxorem, facit eam machari, hoc est, daret occasione machandi, atque ita neccia imputaretur: Judaei enim interrogarunt de dimissione perfecta, quae duo includit: separationem thori, & cohabitationis, & separationem vinculi: quoad primum Christus respondit, licitam esse separationem thori, & cohabitationis ex justa causa fornicationis: quoad secundum negavit fieri posse separationem vinculi, dicendo, *qui dimissam duxerit, adulterat:* non adulteraret autem, si ob priorem fornicationem separatio vinculi inducta fuisset: hinc etiam *Apost. h. c. ait;* mulierem dimissam debere manere inimpium. *Ad 2. Can. 17.* non reperitur in S. Ambrosio, & procedit secundum legem Juliam: ad secundum legem Christi aequa est ratio viri, & mulieris, ut idem S. D. docet in *cap. 16. Luce. Can. 23. cit.* hunc habet literalem sensum: si ante nuptias concubuit cum forore uxoris tuae, neutrum habere potes; istam propter impedimentum affinitatis; illam propter impedimentum publicae honestatis. Uxori tamen ignare, datur facultas transeundi ad alias nuptias; viro autem delinquenti negatur ex *Can. 22. hi vero 32. q. 7. Can. 6. cit.* procedit de nuptiis post mortem conjugis contrahendis, sicut *c. 1. h. t.* Vide Bellar. & alios TT. Polemicos, ad quos questio ista spectat.

7. R. 2. Matrimonia consummata Judaeorum, & aliorum infidelium non possunt dissolvi. 1. *Per libellum repudii,* quia iste sublatus est a Christo; licet in lege Moysis non tantum permittus, sed etiam licitus fuerit ex causa

sa generali fedicitatis, Dem. 24. ut communior tenet; quia est duritia iudeorum causam libello dederit, tamen Deus in his circumstantiis dispensavit, ut uxor herte, & valide dimitteretur, & alia duceretur. Oppositum tenet S. Hieron. Lyan. S. Bonav. Sor. &c. 2. Per privatum, vel publicam potestatem Pape, aut principis laici: quia Papa jurisdictionem non habet in infideles: jurisdictioni autem temporali talem vim datam esse contra jus naturale, & divinum nullo textu, aut traditione constat.

8. R. 3. Si alter infidelium conversus est ad fidem, matrimonium legitimum in infidelitate contractum, non consummatum, solvi potest per professionem religiosam, sicut matrimonium rata fidelium.

R. 4. Si alter manens in infidelitate, circa contumeliam Creatoris nolit cohabitare conjugi converso ad fidem, dissolvitur matrimonium consummatum; non tamen citius, quam conversus ad fidem inerat aliud matrimonium cum fidei; ita ut contractio secundi sit dissolutio primi, 1. pars est com. ex Apost. 1. Cor. v. 15. ubi dicitur fidelem, a quo infidelis discessit, non esse subiectum servituti, seu legi conjugali; ergo libellum habet transitum ad alias nuptias, ut ex perpetua traditione observatur in Ecclesia, & docetur Can. 7. & seq. 28. q. 1. & c. 7. 8. h. t. nam ob favorem fidei Christus hoc privilegium conjugii converso ad fidem concessit, si infidelis nolit ei cohabitare sine contumelia Creatoris, v. g. directe blasphemando nomen Christi, ejuque fidem; vel indirecte, inducendo fidelem ad peccatum. Hoc tamen privilegium non reperitur concessum, si ex fidelibus alter transivit ad paganismum, vel judaismum, etsi ei cohabitare nolit sine injuria Creatoris, quia matrimonium fidelium consummata sunt omnino insolubilia. 2. pars est S. D. in 4. d. 39. q. un. art. 5. S. Bonav. Sanchez cum cit. contra Innoc. Host. Abb. &c. docentes, matrimonia tunc statim dissolvi, dum infidelis vel absolute non vult cohabitare, vel non aliter, quam cum contumelia Creatoris. Ratio est, quia non apparet, quando tale matrimonium solveretur: non tempore baptismi, quia per hunc conjugia non solvuntur c. 2. h. t. Can. 1. si quis, 28. q. 2. non tempore intermedio, quia si alter desistens a perfidia convertatur, alter prius ad fidem conversus tenetur eum recipere, c. 8. h. t. ergo superest, ut matrimonium istud dissolvatur, dum contrahitur novum matrimonium contrarium priori, & cum eo incompositibile, sicut in physicis vetus forma expellitur per novam, & generatio unius est corruptio alterius. His non obstat textus Apostoli 1. Cor. 7. v. 15. & Can. 2. cum seq. 28. q. 1. & Can. fin. 28. q. 2. nam ex textibus istis id solum colligitur, quod fidelis justam habet causam resiliendi; non vero quod per ipsam alterius perfidiam prius matrimonium dissolvatur. Unde si, v. g. judaica convertatur, & vir ejus judaicus aliam ducat, & deinde convertatur ad fidem, antequam illa fidei nubat, reddi debet primae uxori ad fidem converti; quia, cum primum matrimonium non fuerit dissolutum, secundum jure naturali non valet; & conf. subsistente primo, judaica, & judaica ad fidem conversi in eodem remanere debent per c. 8. h. t. Talem casum a Sac. Cong. Conc. decisum legi Romae 1730.

9. An vero in illo casu, quo conversus ad fidem habet justam causam resiliendi a conjugio infideli, matrimonium resolvatur per professionem religiosam; controvertunt DD. Negant Abul. Palao, Schmalz &c. sed verius affirmant S. Bonav. Sanchez, Salmant. cum cit. nam professio religiosa est fortior matrimonio rato, quam illud dissolvat; sed matrimonium in infidelitate consummatum solvitur per sequens matrimonium ratum, a converso ad fidem initum; ergo multo magis solvitur per professionem religiosam juxta trium illud: si vinco vincenem te, multo magis vinco te.

10. Ceterum eo casu, quo prius matrimonium dissolutum est, infidelis non tantum valide, sed etiam licite contrahit novum matrimonium; quia preceptum divinum id prohibens non extat, nisi quoad hoc, ne infidelis citius contrahat, quam conversus ad fidem: quo sensu explicatur cap. 7. hoc tit. Can. fin. 28. quest. 2.

11. R. 5. Si infidelis sine contumelia Creatoris vult cohabitare fidei, non dissolvitur prius matrimonium: ita docet Apostolus 1. Cor. 7. v. 12. & rationem dat:

quia per conjugium fidelem sanctificatur conjux infidelis: idem enuntiat ex c. 7. & 8. hoc tit. Excipie, nisi cohabitatio fidelis cum infideli sit valde periculosa, uti regulariter est uxoris conversae cum judaico Can. 10. Judaei 28. q. 1. quod tamen periculum non afferunt alii infideles: sicut etiam hodie dicuntur Aethiopes, & Indi neophyti cohabitare conjugibus infidelibus.

12. Haec de dissolutione matrimonii, quoad vinculum. Nunc de divortio, seu dissolutione, quoad thorum, & cohabitationem: cujusmodi divortium est duplex: Voluntarium, quod fit ex mutuo consensu patrum, dum status religiosus, vel Clericalis per sac. Ordines assumitur; & de hoc in praesenti non agitur, sed in lib. 3. tit. de convers. conjug. Coactivum, dum conjux innocens, altero invito, separatur, vel in perpetuum ex causa perpetua fornicationis, vel ad tempus ex causa temporali; uti est haeresis, vel apostasia a fide, periculum animae, vel corporis, servitium, aut furor mariti, & molesta cohabitatio.

13. Q. IV. An, & quomodo ob causam fornicationis, seu adulterii fieri possit divortium, quoad thorum, & cohabitationem? R. 1. Ex causa adulterii non tantum vir innocens, sed etiam uxor innocens divertere potest, 1. pars habetur Matth. 5. & 19. quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis &c. c. 4. 5. 8. h. t. pars habetur c. 2. h. t. & Can. 5. idolatria 28. q. 1. ibi: ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias possit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum. Rationi quoque est, quia jus naturale dicitur, quod frangenti fidem fides non sit servanda; cum omni contractui, adeoque etiam matrimonio insit tacita conditio, si alter fidem servaverit: sed ratio ista proffas eadem aequaliter procedit in viro innocente, ut ab adultera, & in muliere innocente, ut ab adultero separari possit, ergo. Dicitur: libellus repudiij fuit concessus tantum viris, & ideo Christus loc. cit. tantum loquitur de viro. 2. Adulterium uxoris est gravius, ergo non est eadem ratio. R. Ad 1. Divortium in lege Christi non imitatur in omnibus libellum repudiij; Christus vero, quia interrogatus fuit de uxore dimittenda, super hoc respondit, tacite innuens idem sentiendum de viro dimittendo, sicut Apostolus 1. Cor. 7. v. 12. docet mulierem discendentem a viro debere manere inuuptam; ergo uxor ob adulterium mariti potest ab eo recedere. Ad 2. Neg. conf. nam hic non attenditur gravitas delicti, sed fractio fidei, quae fit tam in viro, quam in uxore adulterante.

14. R. 2. Adulterium, ut sit causa sufficiens divortii, debet esse formale, non materiale, completum in sua specie, voluntarium, probabilis sine gravi injusto metu patrum, invito altero conjugis factum; secus si iste expresse consentiat, vel tacite non prohibendo, cum facile posset c. 6. de eo, qui cognov. plene probatum, saltem per violentas praesumptiones, de quibus duo testes deponant: nam hic versatur in materia odiosa, adeoque adulterium stricte est accipiendum. Ceterum vir non censetur consentire in adulterium uxoris, si custodes, & testes criminis constituit, vel uxorem e domo ejiciat, vel ei debitum neget, & ista fornicetur c. 4. h. t. Can. 3. itane 33. q. 2. l. 43. ff. de rit. nupt. ibi: neque ignoscendum est ei, quae obtinet paupertatis, vitam turpissimam agit: nam tali casu contra maritum agere, non fornicari debet. Cessat autem causa adulterii, si & altera pars adulteret c. 3. h. t. c. fin. de adulter. quia adulterium adulterio compensatur, & paria delicta, puta quoad interesse civile, mutua compensatio tolluntur. Item si injuria innocenti illata remittatur per reconciliationem expressam, vel tacitam; ut si vir adulteram domi retineat, affectu maritali tractet, v. g. cum ea comedendo, ludendo, debitum petendo &c. Hac remissione facta, si pars innocens cadat in adulterium, dat alteri causam sufficientem divertendi; neque prius adulterium, utpote condonatum, ei opponi potest, licet gratuito suadeat reciprocam remissionem. Dicitur: Innocens tenetur adulterum dimittere: nam per Can. 1. sicut 32. q. 1. fatuus est, & injustus, qui retinet conjugem meretricem: nam patrum turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris, & ejus peccati est particeps c. 2. de adult. ergo injuriam adulterii remittere non potest. R. Neg. ant. ex Can. 5. & seq. 32. q. 1. quia tutius est adulterium non accu-

fare,

sare, a. 25. & illud de jurej. & favori suo quique remittuntur potest: Ad pr. jura ista procedunt in casu scandalali, dum uxor monita, & non respiciens, sine scandalo non potest a marito detineri.

15. R. 3. Si adulterium certum, & simul notorium est notorie facti, aut juris, innocens propria auctoritate divertere potest a nocente. Hoc sensu procedit, c. 4. 6. h. t. c. 9. de sponsal. a sens. contr. Can. 5. de Benedicito 32. q. 1. nam innocens in tali casu non dicit sibi jus, sed potius utitur jure sibi ex natura matrimonii concessio: & aliunde in notorius raro necessaria est auctoritas judicis, nisi in causis gravissimis, ut in solutione matrimonii quoad vinculum Can. 1. secularis 33. q. 2. & c. 3. h. t. 2. Si de adulterio certo non constat, seu magna est praesumptio, divortium fieri nequit, nisi auctoritate judicis ecclesiastici, plene probato delicto: hoc sensu procedit c. 9. de sponsal. c. 4. h. t. nam per delictum incertum nemo privari debet jure certo; ergo nec conjux, donec coram iudice ecclesiastico probetur plene adulterium. 3. Si adulterium parti innocenti est certo cognitum, non tamen publice notorium, praedice loquendo divortium faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici, S. D. in 4. d. 35. q. 1. a. 3. quia alias sequeretur scandalum; cum divortium saltem in foro externo non permitatur, nisi adulterium sit notorium, vel plene probatum. Si autem hoc probari nequeat, pars innocens certa de alterius adulterio cohabitare quidem tenetur, non tamen debitum reddere, nisi velit; quia frangenti fidem fides non est servanda; neque obligatio est parenti sententiae judicis, utpote fundatae in falsa praesumptione facti.

16. R. 4. Facto legitime divortio, conjux innocens non tenetur nocentem, etiam ut emendatum recipere, quia poenitentia, & emendatio jus conjugale non restituit. At de aequitate, si id suadeat causa magni boni promovendi, aut mali averdendi, vel si injuria saltem tacite remissa est, facienda erit talis receptio, saltem ex debito honestatis, si non iustitiae, ut insinuat Can. 7. quod 32. quest. 1. & Can. 7. ego 34. quest. 1. & c. 3. de adult. Contra si velit pars innocens, tenetur ad eam nocens redire, ne ex delicto suo commodum reportet, & praedicti juri innocents. Unde nocens non potest statum mutare, assumendo Religionem, vel Sac. Ordines, nisi nulla spes reconciliationis affulgeat; ut si nocens aliquoties eam petat, & innocens semper denegat; quia tacite innuit, quod nullo unquam tempore reconciliari velit: tunc mutato statu, nocens revocari non poterit. Pars vero innocens quodcumque pro placito suo statum mutare potest, quia juri, & servituti alterius non alligatur. 2. Si factio per sententiam divortio, pars innocens fornicetur, non tenetur recipere nocentem ad solam hujus petitionem, ut docet S. D. in 4. d. 35. q. un. a. 6. Salmant. &c. quia pars nocens per sententiam privata est jure proximo ad actus conjugales. At per implorationem officii judicis redintegrandum est matrimonium: tum quia sententia tacite fuit conditionata: si actor non fornicetur; tum quia causa divortii venit ad non causam; tunc autem agenti non officit exceptio rei iudicatae, lib. 2. ff. de cond. sine caus. Praeter adulterium dari etiam alias causas, ob quas divortium fieri possit, quoad thorum, & cohabitationem, definit Trid. sess. 24. Can. 8. unde.

17. Q. V. An, & quomodo ob adulterium spirituale, seu haesim, aut apostasiam a fide, fieri possit divortium? R. 1. Haeresis est causa sufficiens divertendi c. 6. 7. h. t. & Can. 5. cum seq. 28. q. 1. nam si periculum est perversionis, jus naturale dicitur, & praecipit separationem: si vero non est periculum, jus permittit in odium haeresis recedere ab haeretico. 2. Haeresis nec cum haeresi, nec cum adulterio compensatur: nam per haeresim non inferitur injuria mutua conjugibus, sed Deo: per adulterium vero fit injuria conjugibus; ergo licet adulterium mutuo compensari possint, non tamen haereses. 3. Si ob haeresim alter conjux propria auctoritate divertit, altero respiciente, tenetur ad eum redire: quia haeresis per se non est causa perpetui divortii, sed temporalis, quo cessante causa, haeresis cessare debet. At si haeretici per sententiam condemnatus est, divortium est perpetuum; quia sententia ista privat omnibus juribus; ergo & jure conjugali, c. 6. h. t. c. fin. de haeret. in 6. quo casu si catholicus transeat ad religionem, ab altero respiciente revocari non poterit, c. P. Remigii a S. Erasmo. Pars II.

fin. de convers. conjug. at si maneat in saeculo, licet forsitan de rigore juris non teneretur respicientem recipere, tamen de aequitate videtur matrimonium redintegrandum, ut colligitur ex c. 7. h. t. nam causa divortii perpetui non est, nisi sola fornicatio a Christo assignata, utpote contraria fidei conjugali; haeresis vero non videtur esse causa divortii perpetui, nisi interim catholicus statum religiosum assumat: quo sensu explicatur c. 6. h. t. conformiter c. fin. de convers. conjug. & c. fin. de haeret. in 6.

18. Q. VI. Quae sint aliae causae, ex quibus fieri possit divortium? R. Seqq. 1. Periculum animae, dum alter conjugem inducit grave peccatum, v. g. in sodomiam, veneficia, latrocinia &c. arg. c. 5. idolatria 28. q. 1. nam jus naturale jubet vitare periculum animae. Sublato tali periculo, cessat divortium, cum sit temporale. At si alter conjugem peccet, non tamen alium inducat in peccata, non est causa divertendi, c. 2. h. t.

19. II. Periculum corporis, dum ex cohabitatione alteri imminet grave damnum corporale, ut insectio ex lepra, & similis morbo; vel si maritus exercet latrocinia, & uxor timeat, ne cum illo participet in delicto, & supplicio.

20. II. Seditia, aut furor mariti, si maritus uxorem suam capitali odio persequatur, mortem, aut mutilationem serio attenet, vel minetur, vel veneno infunditur &c. Modica tamen verberatio, cum permiffa sit marito correctionis causa, non dat causam divertendi. Gravis verberatio censetur, si sanguinolenta sit, non tamen ex naribus si vulnera relinquantur, abortum causet &c. idque mensurandum est respectivo; quia minor verberatio sufficit ad probandum sevitium mariti, si uxor nobilis, honesta, & publica sit, quam si plebeja, rixosa, turpis &c. Haec pariter procedunt, si uxor saeva sit in maritum; quia & contra hanc matris de jure naturali se mueri potest: praesertim si infirmitas vitae struantur, licet haec Canones loquantur tantum de sevitia mariti, quia haec frequentior est; ergo ex hac causa maritus divertere potest. 2. Divortium, ex causa sevitiae faciendum est auctoritate judicis ecclesiastici arg. c. 1. 8. 13. de respis. spolia. nisi sevitia sit notoria, vel periculum sit in mora, ut plerumque esse solet. Cessante sevitia, & data cautione per fidejussores, aut pignora; vel his deficientibus, per juramentum, uxor marito restituenda est; nisi ob capitale odium periculum pendeat in futurum, & tunc uxor petere potest sententiam divortii perpetui: quo casu pars innocens mutare statum potest, assumendo religionem: quae tamen mutatio in divortio temporali nec nocenti, nec innocenti sine consensu alterius conceditur, cum praedicti juri conjugali, quod per tale divortium non tollitur: 3. Furor superveniens, si nullum nocumentum alteri parti afferat, non est causa divortii, sed compassionis, licet cohabitatio sit molesta, Can. 18. si uxorem 32. q. 5. At si furor, vel amentia periculosa sit alteri, interim fiet separatio, donec furor curetur. Si vero ex medicorum confessione curatio disperetur, pars altera statum mutare potest, quia adeste causa divortii perpetui, non absolute, sed conditionate: nam si praeter opinionem conjux furiosus ad sanam mentem rediret, revocare posset conjugem ex religione; quia sententia lata est ex errore, & falsa furoris perpetui exilimatione: talis autem sententia substat revocationi. Secus accidit in divortio ex causa perpetuae sevitiae: quia tunc conjux saevus in penam delicti privatur jure conjugali; & conf. revocare non potest conjugem ex religione, etsi totaliter sevitia cesset.

21. Q. VII. Apud quem factio divortio, proles educari debeat? R. Apud innocentem; & quidem apud matrem expensis patris, & apud patrem expensis matris locupletis: nisi pater minus idoneus esset ad proles nutriendas, Auth. si pater C. de divortio factio, Nov. 117. c. 7. Hodie servanda est consuetudo locorum: id vero maxime curandum, ne proles educetur apud conjugem haereticum, vel apostatam, sed apud catholicum, ut educatio illius sit in gloriam Dei, & animae salutem.

L 3

TL

TITULUS XX.

De Donationibus inter Virum, & Uxorem, & de dote post divortium restituenda.

Agitur de hac materia in Pandectis lib. 23. tit. 3. & seq. l. 24. tit. 1. 3. In Codice l. 5. tit. 11. usque ad 23. Nov. 22. c. 26. cum seq.

1. Nota 1. Inter conjuges donationem triplicem distingui: 1. Donationem ob causam, quae non fit mere liberaliter, sed ex causa extrinseca, v. g. propter matrimonium, uti dos, & donatio propter nuptias. 2. Donationem remuneratorem, seu antidotalem, quae fit ex gratitudine ob aliquod beneficium, aut servitium praestitum. 3. Donationem mere liberalem, & gratuitam, quae fit ex solo motivo liberalitatis, & ob nullam aliam causam extrinsecam: & haec proprie, & stricto est donatio, vel inter vivos, vel mortis causa.

2. Nota 2. Dotem a donando dici, eamque tripliciter accipi: 1. Formaliter pro pacto, quo bona dotalia determinantur. 2. Obiective, seu materialiter pro ipsa re, seu bonis in dotem datis. 3. Effective pro jure, quod marito, vel uxori in bona dotalia competit. Dotis correlativum est donatio propter nuptias, seu contradas, quae iisdem tribus modis accipitur. Hic duo ista potissimum accipiuntur obiective: quo sensu dos est certa res in specie, vel quantitate, quae ab uxore, vel alio ejus nomine datur marito ad sustinenda onera matrimonii, puta ad alendam uxorem, liberos, & familiam. Donatio propter nuptias est certa res in specie, vel quantitate a marito, vel alio ejus nomine destinata in securitatem dotis: unde sequitur conditio dotis, eique adequari debet. Olim dicebatur donatio ante nuptias, quia ante has fieri debuit, ita ut, constante matrimonio, nec fieri nec augeri poterit; l. 1. & seq. ff. h. r. sed ex Constitutione Justiniani Imp. dicta est donatio propter nuptias, & constante matrimonio, non solum augeri, sed & initialiter constitui potest exemplo dotium l. 19. & fin. C. de donat. ante nupt. §. 3. In de donationib.

3. Nota 3. Dotem diviti: 1. In promissam, quae pacto promittitur absque traditione: quod pactum ex assensu legis vim habet stipulationis l. 6. C. de dotis promiss. & confirmam, quae vel actu inter vivos est tradita, vel per ultimam voluntatem relicta. Neque exi- penda est ex jure dos promissa, ut vult Lauterbach, cum cit. rubrica codicis de illa habeatur, & frequen- ter ejus mentio fiat in jure, ut l. 57. 59. & c. ff. de jure dot. 2. In profectitiam, quae datur a patre, vel alio ascendente, vel ab extraneo contemplatione patris l. 9. pr. & §. 2. ff. eod. & adventitiam, quae extrinsecus advenit, non a patre, vel ascendente alio, sed vel a matre, avo materno, fratre, vel alio extraneo, lib. 33. & seq. ff. eod. Si ipsa uxor sibi dotem constituat, non habet proprium nomen, licet dicatur profectitia l. 5. §. 11. ff. eod. Praeter dotem, seu bona dotalia habet uxor bona paraphernalia, & receptiva. Parapherna sit- te accepta sunt illa bona, quae uxor absque dotis ti- tulo tradidit marito administranda l. fin. C. de pact. con- ven. Late autem accipiuntur pro receptivis, quae uxor sibi reservavit, neque voluit esse in potestate mariti.

4. Nota 4. Ad donationem conjugum referri etiam morganicam, munera nuptialia, & dotalium: quae pro usu regionum varie a variis explicantur. Morgani- ca, seu morgengaba, latine donum matutinale, est donatio, quam maritus facit uxori alio nuptiarum die in remunerationem debitate virginis. Munera nuptialia sunt illae donationes, quae fiunt a parentibus, & amicis in gratiam novorum conjugum, ut aequaliter inter eos dividantur. Dotalium, seu usufructus est id, quod a marito constituitur uxori in compensatio- nem dotis. Unde uxor, si vellet dotalio sui, doti ab hereditibus mariti repetenda renuntiare debet, Schmier & c. Jam in hac materia ampla, ad jus civ. pertinente, stricte agam, primum de donante, deinde de do- nationibus inter virum, & uxorem: tandem de restitu- tione dotis, soluto matrimonio.

5. Q. I. Quis, qua forma, & in qua re possit do- tem promittere, aut constituere? R. 1. Non tantum mulier pro se ipsa, sed quicumque alius liberam rerum futuram administrationem habens, potest pro muliere do-

tem constituere, vel promittere, l. 41. ff. de jure dot. l. fin. C. ad SC. Vellej. nam beneficium alteri praestare nemo prohibetur. 2. Ipsa mulier non tenetur se ipsam dotare, cum matrimonium absolute sine dote consistere possit, l. fin. P. sicut autem C. de donat. ante nupt. & ideo si mulier permittat maritum rebus suis uti absque ulla mentione dotis, non praesumitur ea in dotem de- disse; sed ut paraphernalia tradidisse. 3. Inter eos vero, qui obligantur mulierem dotare, est primo pater; quia paterni officii est dotem, vel donationem propter nuptias pro sua dare prole l. fin. C. de dotis promiss. l. 49. ff. de viri nuptiar. et si filia sit dives, vel nuptiarum sit defectum patris obligatur avus paternus l. 6. ff. de collat. tum mater l. 14. de jure dot. & probabiliter etiam pro sorore germana, aut consanguinea, saltem de honestate dotem dare debet arg. l. 12. §. 3. ff. de admin. tut. De jure Can. deflorator tenetur defloratum ducere, vel eam dotare, c. 1. & 2. de admul.

6. R. 2. Promissio, vel constitutio dotis fit per pa- lla dotalia: quae sunt conventio super dote danda, conservanda, vel retinenda, vel super bonis ceteris. Simplicia, quae fiunt actu inter vivos, seu vero con- tractu, de jure com. valent, nec testes requiruntur, nisi duo ad probationem, sicutque per se irrevocabilia l. 2. 14. ff. de pact. dotal. Mixta, quae transeunt in ulti- mam voluntatem, & futuram conjugum successorem continent, reprobanur a jure com. l. 5. C. de pact. convent. sed ex consuetudine sustinentur; dammodo so- lemnitatis ultimae voluntatis habeant.

7. R. 3. In dotem dari potest res quaecumque mobi- lis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, usus- fructus, vel proprietates, l. 4. & seq. C. & l. 7. C. ff. de jure dot. imo & feudum; attamen absque aestima- tione per modum venditionis l. 2. F. tit. 13. 17. & 55. pr. Si omnia mulieris bona in dotem data, ei heres succurritur l. 4. C. de jure dot. Si vero res aliena bona fide data est, transferitur in maritum conditio usufruc- piendi ex tit. ff. pro dote. Si tandem proprium debi- tum mariti in dotem datum est, is liberatur a solven- dia usuris; alioquin nullum fructum ex dote habet, l. 76. ff. de jure dot.

8. R. 4. Effectus dotis promissae ex parte promitten- tis est obligatio eam constituendi, seu tradendi, & ex parte promissarii est jus, & actio ex stipulato ad illam, secutus nuptias, exigendam, l. un. §. 1. C. de rei uxor. acti. 2. Effectus dotis constitutae, seu traditae est in ma- rito dominium civile bonorum dotalium, ita ut fructus percipere, & constante matrimonio, suo nomine pro bonis istis agere possit; & e contra obligetur ad onera matrimonii sustinenda: l. 7. ff. de jure dot. Et quidem si in dotem datae sunt res mobiles, vel quantitates im- mobiles aestimate per modum venditionis, maritus sit ab- solutus illarum dominus, & ad eum pertinent com- moda, & incommoda, seu pericula; ita ut soluto ma- trimonio, teneatur aestimationem praestare, vel ipsas res, etsi deterioratae sint sine culpa illius restituere, c. 10. 42. ff. de jure dot. At si res immobiles non aesti- mate per modum venditionis, licet taxatae sint ad ex- plorandum pretium, in dotem datae sint, maritus non fit illarum absolutus dominus, sed tantum fructus, seu civilis, dominio vero, & naturalis remanent penes uxorem: & ideo si res istae casu pereant, pereunt u- xori tanquam domine. Neque maritus tales fundos dotales etiam cum consensu uxoris, alienare potest, nisi mulier biennio exacto, de novo in talem aliena- tionem consentiat, cum clidat praesumptio de mulie- re seducta, Nov. 61. cap. 1. §. 1. vel nisi alienationi accesserit juramentum mulieris, cap. 28. de jurejur. At respectu paraphernalium maritus nullo modo sit domi- nus, sed merus administrator, seu procurator, attamen sine mandato; & licet fructus ex iis collectos possit expendere in usus communes, sibi & uxori cap- fin. C. de pact. convent. non tamen eos lucratur, sed soluto matrimonio, teneatur extantes, vel male con- sumptos cum parapheris restituere, Menoch. Engl. & alii. Haec proportionaliter applicanda sunt donatio- ni propter nuptias, quae imitatur dotes, & soluto ma- trimonio, redit ad matrem, vel patrem, aut alium ex- traneam donantem, sicut dos ad uxorem, §. 3. In de donat. Nov. 97. cap. 1. & 2. Jam occasione bonorum extradotalium (dotalia enim alienari prohibentur) qua-

questio oritur, an uxor, & maritus ex illis aliquas si- bi donationes facere possint? pro quo fit.

9. Q. II. An valeant donationes inter virum, & uxorem? R. 1. Donationes mere liberales, quibus do- nans efficitur pauperior, inter conjuges factae, sunt in- valide de utroque jure, l. 1. ff. & c. fin. h. r. ne con- juges mutuo amore spoliuntur, & conjugalis concor- dia sit venalitia, & ne ipsa matrimonia discutiantur, & dissolvantur, si non donet is, qui possit, ut ait Paulus lib. 2. eod. consuetudo tamen moderatas dona- tiones permittit. Porro donatio ista ex parte donantis, utpote invalida, nullam obligationem inducit: ac pro- inde donatum repeti potest, ita exigente bono publico l. 3. §. 10. eod. At ex parte donatarii, rem ex volun- tate domini retinentis, nulla est iniquitas, donec res per donantem revocetur, & tunc obligatio est restitu- endi. Exempla talium donationum vide in ff. h. r. At ceteri contractus ad aequalitatem inter conjuges cele- brati, sunt validi, cum alter non fiat pauperior, nec alter ex bonis alterius locupletetur l. 5. §. 5. ff. h. r.

10. R. 2. Donationes ob causam extrinsecam fa- ctae, v. gr. ob causam necessitatis, commiserationis, pietatis, vel commodi in donantem resultantis, susti- nentur; ut si uxor aliqui marito donet pro refectio- ne adium, pro gradu doctoratus &c. vide l. 5. 14. 15. 40. 43. ff. h. r. Donationes modice, v. g. in die natali, aut onomastico l. 3. §. 8. l. 42. eod. 3. Donationes inter Augustum, & Augustam l. 26. C. h. r. uxor tamen, vivente patre suo, non potest fieri talis cessio; quod donare Konig 4. Donationes remuneratorie, mo- do non sint excessivae; cum non sint propriae donatio- nes ex mera liberalitate, l. 1. 17. ff. de donat. 5. Re- pudiatio hereditatis, vel legati facta in gratiam uxoris substituit, quia repudians non perdit de suo, sed tan- tum acquirat, l. 7. §. 13. 14. ff. h. r. 6. Cessio heritorum ante nuptias facta ex pacto; quia vim habet contractus onerosi; at post nuptias, ubi jus quæsitum est ad lucra communia, non potest fieri talis cessio; quia per illam patrimonium cedentis diminuitur: dos tamen non tradita, uxori remitti potest l. 54. ff. h. r. l. 19. v. sed est C. de donat. ante nupt.

11. R. 3. Donatio invalida, si non revocetur, morte donantis conjugis convalescit c. fin. h. r. l. 23. §. 1. ff. & l. 25. C. eod. nam tunc cessat motivum prohibi- tionis, scilicet ne amor conjugum sit venalitus; dammodo donatio 500. solidos excedens facta fuerit cum infanatione apud judicem, & res donata sit sal- tem fide tradita donatario, l. 23. ff. h. r. quo casu etiam fructus rei donatae sunt donatarii; quia confirma- tio per mortem retrahitur ad tempus, quo donatum fuit, c. 25. C. h. r. 2. Morte civili donantis, licet do- natio confirmetur respectu fisci, ut is eam revocare non possit: non tamen confirmatur respectu donantis; quia is hodie non sit servus penae: si vero factus est servus hominis, vel religiosus, donatio auctoritate domini, vel praetuli revocari potest; nisi religio incapax esset successiois: ita haec statuuntur l. 24. cum seq. amb. & l. 25. C. h. r.

12. Q. III. Quando dos repeti possit? & qua ve- niant in dotis restitutionem? R. 1. Dos regulariter re- petitur, soluto matrimonio c. fin. h. r. quia cessat causa sustinendi onera matrimonii; nisi conventum sit de dote lucranda l. 10. C. de pact. convent. Constante au- tem matrimonio, dos in tribus casibus repeti potest: si maritus sua culpa ad inopiam vergat: si penam con- fessionis patitur, si uxor non habeat, unde alat libe- ros prioris matrimonii, parentes, fratres, & sorores, l. 24. ff. solut. matr. l. 31. eod. nisi maritus ad inopiam vergens, velit dare fidejussores: quo casu iudex arbitra- bitur, an dos remanere debeat apud maritum, vel de- poni apud sequestrem, ut is maritus fructus det pro sus- tinendis oneribus matrimonii: ita Can. ex c. 7. h. r. licet Legiste velint, in casu inopie dotem non esse relinquendam marito. 2. In restitutionem dotis venit, quidquid maritus dolo, vel culpa lata, aut levi in re dotali fecit, l. 17. ff. de jure dot. Si quantitates, vel corpora per modum venditionis aestimata, perierint for- tuito, periculum est mariti tanquam domini; adeoque aestimationem restituere debet. Si autem res immobi- lis, vel mobilis non fungibilis, damnum est uxoris, tan- quam domine, & conf. non venit in restitutionem

dotis. Privilegia dotis vide lib. 3. tit. de pignor. 3. In restituenda dote marito competit beneficium, seu exceptio competentiae, ne cogi possit in solidum, sed in quantum potest, salva sua honesta, & competenti sus- tentione, lib. 13. 15. ff. solut. matr. quia inhu- manum est, ut uxor maritum in paupertatem redigat. Quia vero exceptio ista est personalis, non competit hereditibus mariti, nec directe fidejussoribus. De quo vide in meis disput. civil. Disput. 19. Controv. 2. Ce- terum praeter dotem alia bona, & lucra, quae quilibet conjugum ex sua pecunia sibi comparavit, non sunt re- stituenda l. 6. C. si quis alteri. l. 12. C. de jure dot. nisi communiter utrique obvenissent, v. g. ex legato, donatione &c. quo sensu procedit cap. 2. h. r.

13. Q. IV. Cui dos restituenda sit? R. 1. Si ipsa uxor dotem dedit, dos ei, vel ejus hereditibus restitui debet lib. unie. princ. Cod. de rei uxor. act. 2. Si dos fuit profectitia a patre, vel alio paterno ascendente, & durante patria potestate, matrimonium solvatur, dos redit ad dotantem, non vero ad heredes dotatae, nisi aliter conventum sit lib. 4. Cod. solut. matr. lib. 10. ff. eod. nam liberi, licet matri succedant, exclusi- sis ascendentibus, ista tamen successio non est in bonis profectitiis, Reiff. ex Nov. 118. cap. 1. At si do- tata fuit emancipata, sicut ex consuetudine Germaniae communiter per nuptias emancipatur, dos redit ad uxorem, vel ejus heredes, cit. lib. unie. Cod. de rei uxor. quia per emancipationem dos definit esse profes- titia. 3. Dos adventitia cum pacto restitutionis da- ta, redit ad donantem, secluso tali pacto, remanet u- xori, vel ejus hereditibus, quia censetur esse donata, cit. lib. unie. §. 13. 4. Si matrimonium bona fide cum impedimento dirimente contractum est, dos uxori, & donatio propter nuptias marito restituitur, ex- cluso beneficio competentiae cap. 1. h. r. nam datum ex causa, causa non secuta, repeti potest in solidum, cum hic cesset reverentia maritalis. At si scienter ma- trimonium contractum est cum impedimento dirimen- te, dos, & donatio propter nuptias amittitur, & fi- sco applicatur, lib. 4. Cod. de incest. nupt. quae lex videtur comprehendere omnia matrimonia de jure Can. reprobat; nisi consuetudo aliter jura ista interpretetur. Et haec de restitutione dotis procedunt, si matrimonium solvatur tantum quoad thorum, & cohabitationem, si vero quoad vinculum pro mortem.

14. Q. V. Quando amittatur dos, vel donatio pro- pter nuptias? R. 1. Si ex causa adulterii formalis in specie sua completi fiat divortium, uxor innocens do- nationem suam repetit, & lucratur dotem; ut homici- do gravissima injuria pro adulterio illata, aliquid tamen innocenti compensetur: ita de utroque jure c. 4. ple- rumque h. r. l. 8. §. 4. 5. C. de repud. Nov. 117. c. 8. §. 2. Quae tamen jura poenalia non extenduntur ad oscula, tactus, & alias causas, ex quibus fit divortium: imo probabilis nec ad casum copulae fodicomicae; ut- pote non expressum. Recte tamen Clar. Far. Reiff. & alii dicunt huic poenae esse locum, si in matrimonio putativo committatur adulterium, quia est formaliter tale, licet deinde deregatur impedimentum dirimens. Neque jura ista extenduntur ad bona parapherna uxoris, quia non sunt dos. Nominis dotalium in cap. 4. h. r. venit vel donatio propter nuptias, Sanch. & alii, vel usufructus dotis loco constitutus, vel pretium, & aestimatio dotis date in rebus numero, pondere, & mensura constantibus.

15. R. 2. Cessat amissio dotis, vel donationis pro- pter nuptias in casib. seqq. 1. Si adulter reconcilietur innocenti, si ante, si post sententiam divortii recon- ciliatio facta sit: siquidem c. 4. h. r. casus reconcilia- tionis expresse, & indistincte excipitur. 2. Si uter- que sit reus adulterii, quia tunc poena mutua compensa- tione tollitur cap. 5. & fin. de admul. l. 39. & 47. ff. solut. matr. 3. Si maritus consentit in adulterium uxoris, vel leno fuit cit. lib. 4. Si extant liberi ex eodem, vel prioris matrimonio; tunc enim proprietates dotis eis cedit, & usufructus manet penes innocen- tem, quamdiu vivit, Nov. 117. cap. 8. vers. Si enim filios.

TITULUS XXI

De secundis Nuptiis.

Agitur de hac materia in Decreto 21. q. 1. & 34. q. 1. 2. In Codice h. t. & Novellis eod. tit. allegatis.

1. Solutio quoad vinculum matrimonio, transit solet ad secundas nuptias, quarum nomine veniunt etiam tertiae, & posteriores; suntque per se non tantum validae, sed & licitae omni jure; naturali: quia soluto vinculo, & jure conjugali, nullum obstatum est corpus suum alteri tradendi ad usum conjugalem, Divino, quod insinuat Apostolus 1. Cor. 7. v. 39. Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat: Ecclesiastico, ex vero h. t. quae jura quotidiana praxi firmata sunt. Illud est exemplum, de quo meminit Menoch. quod quaedam sumina, tempore Damasi Papae, successively vigesimo viro nupsit, qui antea viginti quinq; uxores sepelierat. Erant tamen in Ecclesia Orientali certae causae, ob quas tertiae, & posteriores nuptiae non facie admittentur, prout notat Spondan. & alii ex Can. 8. & seq. 31. q. 1. & c.

2. Q. I. Quid requiratur ad hoc, ut secunda nuptia rite contrahatur? R. 1. Notitia moraliter certa de obitu prioris conjugis c. 19. de sponsal. ubi requiritur *incertum certum*, puta in genere neutro, seu relatio certa de morte conjugis prioris, & c. 2. h. t. Lucius III. referibit christianis in captivitate positus: id vobis respondens, in nullis amodo ad secundas nuptias migrare presumat, donec ei constet, quod ab hoc vita migraverit conjugis ejus. Constare autem est *notum certo esse*, quia probabilis notitia non sufficit ad secundas nuptias; tum ne jus certum per incertum tollatur; tum ne irreverentia priori sacramento infertur, & secundum invalide attendatur; tum quia praesumptio de vita est fortior, donec contrarium certo probetur, l. fin. c. de SS. Eccl. Ita explicatur Can. 1. cum seq. 34. q. 1. Nec oblat c. fin. §. porro, ut lito non cont. nam ibi *verisimilis notitia* requiritur, ne conjugii alteri absentis defensio exceptionis praeludatur contra judicium, quo matrimonium ob impedimentum dirimens dissolutum fuit.

3. R. 2. Notitia certa coram iudice Ecclesiastico probanda est per indicia moraliter certa, ut sunt 1. Si parochus testetur, quod mortuum conjugem sepelierit. 2. Si id testetur magistratus politicus, militaris, vel notarius publicus. 3. Si duo testes de visu deponant de obitu illius, quod interfuerit ejus morti, sepulture, aut viderint ejus sepulchrum. Ipsa tamen pars matrimonii petens, non admittitur pro hoc testimonio, cum generaliter in propria causa nemo sit testis idoneus, l. 10. ff. & l. 10. C. de testib. 4. Si praeferat unum testem de visu adfuit alia indicia verisimilitatis mortis, v. g. quia maritus fuit senex, aeger, confusus in periculosa navigatione, vel loco peste infecto, vel in pugna, ubi multi perierunt, vel si testes deponant ex fama, quod hoc audiverint a majori, vel digniori parte civitatis, aut legionis &c. Secus sola fama sine admittuntur non probat; ut nec unus testis, quia vox unius, vel vox nullius c. 10. in fin. l. 9. C. de test. Excipit Sanchez casum, quo conjugis obitus dicitur accidisse in loco valde remoto, unde probatio separari non possit: si enim plena probatio non speratur, sufficit probatio ex conjecturis l. 5. §. 6. ff. de re militar. Schmalz. & alii.

4. R. 3. Habita certitudine morali, parochus, nulla Ordinarii licentia petita, assistere potest matrimonio: nam tali casu habet licentiam copulandi a jure datam, & cum certus sit, certiorari ulterius non debet, per reg. 21. in 6. In dubio autem recurrit ad Ordinarium, cujus iudicare est de sufficientia indiciorum. Quod si Ordinarius videat probationem non usquequaque esse plenam, deserat juramentum conjugii, quod non sciat, neque credat conjugem amplius vivere, Reiff.

5. R. 4. Si post matrimonium bona fide contractum conjugum moraliter certo relinquit priorem conjugem adhuc vivere, illico abstinere debet ab omni usu matrimonii; quia hoc ob impedimentum flagitiosum est invalidum, & nullitatem matrimonii statim probare nequeat, c. 1. in fin. 34. q. 1. c. 2. h. t. Si vero conjugum, quo vivente, matrimonium contractum est, jam mortuus fuit, matri-

monium novo consensu convalidandum erit, & tunc licebit eo uti. Si dubium oriatur, eadem observanda erunt, quae dixi sit. 1. n. 48.

6. Q. II. An benedictio sit secunda nuptiae? Ante resp. nota benedictiones nuptiales, aliaque caeremonias, quae sunt ad honorem hujus sacramenti, & gratiam conjugali statui necessariam impetrandam, licitas omnino, & honestas esse, ut sub anathemate definit. Trid. sess. 24. Can. 11. Danda autem est benedictio primis nuptiis ex praepcepto Ecclesiae, quod secluso contemptu, non videtur graviter sub mortali obligare, cum Trid. potius hortetur ad illam recipiendam, quam graviter praecipiat, ibid. c. 1. de ref. mar. & conf. consummatio matrimonii ante benedictionem suscepiam non videtur excedere veniale peccatum. Spectat vero benedictio ista ad parochum proprium; secus alius sacerdos, qui sine licentia parochi ausus fuerit benedecere nuptias, ipso jure incurrat suspensionem, donec ab Ordinatione illius parochi absolvatur. Vide supra sit. 3. n. 26.

7. R. 1. Cum jus commune non sit certum circa benedictionem secundis nuptiis impediendam, attendi debent consuetudines, statuta, & Ritualia cujusque diocesis. Sunt autem hic variae sententiae. 1. Docet secundis nuptiis nunquam dari posse benedictionem ob generalem textum c. 3. h. t. & ideo penam suspensionis statutum esse benedicti, c. 1. eod. Tabiena &c. 2. Docet semper illam dari posse, quia benedictio ista, cum non sit sacramentum, iterabilis est, non obstante c. 3. h. t. cui locus est eo casu, quo benediciuntur nuptiae secundae, primis constantibus, Lopez. 3. Docet benedictionem non esse dandam, si vir, sive mulier in primis nuptiis benedictionem accepit, quia pars benedicta trahit ad se non benedictam, Covar. & alii. 4. Docet benedictionem esse dandam, si viduus ducat virginem; non vero si vidua transeat ad secundas nuptias. Haec sententia videtur frequentior in praxi, & pro ea allegari solet S. D. in suppl. q. 63. a. 2. ad 3. Ratio congrua sumitur ex significatione hujus sacramenti, quae non ita perfecte solvatur, si mulier sit nubens, quia sponsa Christi est unica Ecclesia, in qua tamen Christus habet plures personas desponsatas. Ceterum cum benedictio impendatur personis, non erit repetenda, si revaliderit matrimonium nulliter contractum.

8. R. 2. Suspendio lata in c. 1. h. t. contra benedictionem secundas nuptias in casu non permisso, videtur restringenda ad casum, quo sacerdos benedicit nuptias secundas, primis existantibus, vel existente dubio de morte prioris conjugis, conformiter Trid. sess. 24. c. 1. de ref. mar. alioquin pena ista esset nimis gravis, & gravitatem delicti excedens: ita Joan. Andr. Menoch. Sanchez, Reiff. & alii: imo Abbas, alique cum illo dicunt non esse ibi constitutam penam ordinariam, sed specialem pro illo duntaxat casu, qui ibi accidit.

9. Q. III. Quae sint poenae binubentium? Nota poenas illas a jure civ. introductas esse triplicis generis: Aliae sunt poenae propriae dictae, quae statuta sunt in odium, & vindictam praematuris transitus ad secunda vota. Aliae sunt poenae improprie dictae, seu subtractiones favoris sub conditione concessi, si conjugum ad secunda vota non transiverit, idque in favorem, & utilitatem liberorum ex priori matrimonio existentium; adeoque illis non existentibus cessant, l. 3. §. 1. C. h. t.

10. R. 1. Poenae primi generis proprie dictae, latae contra viduam intra annum luctus nubentem, sunt quinque: 1. Infamia, quae notatur tam mulier quam vir eam ducens, & quidem ipso jure l. 1. C. h. t. l. 1. §. 11. ff. de his qui not. infam. l. 15. C. ex quib. caus. infam. irreg. ut evitetur turbatio sanguinis, & incertitudo proliis. Quae ratio cessat in viduo, ac proinde si citra infamiam quodcumque ad secunda vota convolare potest. 2. Incapacitas disponendi, ne mulier plus tertia parte bonorum titulo dotis, vel per ultimam voluntatem in maritum transferre possit, sed duae partes manent prioribus liberis, vel aliis legitimis heredibus, atque ita mulier partim testata, partim intestata decedat, lib. 1. Cod. h. t. idem dic de donationibus, cum non convalescat, nisi per mortem. 3. Incapacitas obtinendi hereditatem, legatum, fideicommissum, mortis causa donationem ab alio, quam marito secundo, ibid. 4. Amissio omnium eorum, quae prior vi fibi reliquit titulo hereditatis, legati, aut alio simili, cit. l. 1. & 2. eod. quae bona cedunt consanguineis viri

viri primo, vel secundo gradu conjunctis, & his deficientibus sicut 5. Incapacitas succedendi ab intestato consanguineis ultra tertium gradum, ibid. Unde mulier non succedit filio patrum, quia est in quarto gradu secundum jus civ. quod in successione observatur. Poenae istae non extenduntur ad virum binubentem, cum in hoc non eadem erant ratio, l. 4. C. ad SC. Tertull. Nov. 22. c. 22.

11. R. 2. Poenae secundi generis improprie dictae sunt patitur quinque: Amissio domini directi eorum, quae ex liberalitate, vel ultima voluntate mariti ad eam pervenerunt, ita ut retineat solum usufructum, & proprietates cedat prioribus liberis l. 3. & 6. §. 1. C. h. t. idem dic de viduo l. 5. pr. & §. 1. eod. 2. Incapacitas plus dandi marito, quam uni ex liberis etiam in minima portione, legitimam tamen aequante, l. 6. 10. pr. eod. ne infans amore novi conjugis captus, plerumque facultates in eum effundat. 3. Amissio tutelae liberorum, l. 2. & auth. sacramentum C. quando mulier. iur. offic. imo si a iudice non petierit tutorem liberis dari, incidit in poenas nubentibus intra annum luctus constitutas, auth. eisdem C. eod. Nov. 22. c. 40. v. ideoque. Quae tamen dispositio non extenditur ad executionem testamenti, quia in odiosis arg. a tutela non valet ad testamentum. 4. Privatio educationis liberorum, qui apud alium educari debent, l. 1. C. ubi pupill. educ. Nov. 22. c. 38. 5. Amissio honoris, & privilegiorum, quibus gaudet vidua, quatenus fingitur esse sub praecedenti matrimonio, l. fin. C. de bon. mater. l. 15. C. de digni. Nov. 22. c. 36. Unde si mulier, quae vi matrimonii facta est principissa, nubat marito inferioris conditionis, perdit nomen, & praetogatus principissae.

12. R. 3. Non tantum infamia, sed probabilis etiam reliquae quatuor poenae primi generis sublatae sunt per jus Can. c. 4. & fin. h. t. ita commun. contra Cynum, Olivian, Batbos: nam licet in cit. capitulis mentio expressa fiat solius infamiae, tamen ratio ibi adducta generaliter procedit de ceteris poenis proprie dictis; quia puniri non debet, qui non delinquit, sed utitur jure suo: sed vidua intra annum luctus nubens, non delinquit, sed utitur jure sibi concessa a natura, Christo, & Ecclesia; ergo. Nec obstat, quod leges civiles ex fine suo sint honestae: nam ex alio capite respicienda veniunt: quia nimis restringunt libertatem, & commoditatem acquiritur matrimonium per se liciti, & a Christo concessi: foveat periculum incontinentiae, praesertim in viduis junioribus, quas Apostolus vult nubere; ergo merito dicuntur per Ecclesiam sublatae.

13. R. 4. Poenae secundi generis manent in suo robore: nam nullibi per jus Can. reperitur sublatae; ergo cur stare prohibeantur: illi enim favores, & laeta ex mariti facultatibus quaerita concedi possunt sub conditione non mutandi statum viduae. Consuetudo tamen in plerisque regionibus jura ista temperavit; quia saepius pupillis melius est vivere in domo vitrici, quam egere cum matre vidua.

R. 5. Vidua intra annum fornicans, incurrit poenas primi generis; ceteras vero incurrit, quodcumque post annum luctus fornicetur, Nov. 29. c. 2. §. 1. ubi ratio additur: non enim aliquid amplius habebit castitate luxuria. Neque poenae istae respectu viduae fornicantis sublatae sunt per jus Can. cum hoc de solo matrimonio loquatur. Item probabile est, quod etiam viduus fornicans, priveret proprietate bonorum, quae titulo lucrativo ab uxore accepit; siquidem in hoc puncto, & ratione allata viduus, & vidua aequiparantur. Porro quia respectu fornicationis omnes istae poenae sunt proprie talem, utpote ob delictum statuta, non incurrunt ante sententiam, saltem declaratoriam criminis; quae declaratio non est necessaria respectu secundo nubentis; cum secundo nubere non sit delictum.

T R A C T A T U S

De Dispensationibus matrimonialibus.

Cum de hac materia, scitu maxime necessaria nullus specialis in jure titulus existat, merito illam ad finem hujus libri rejeci. Et quamvis more meo fuc-

cinde procedam, nolui tamen aliquid ex necessariis omissum. Pufam, variisque exemplis illustret tractationem scripsit Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum lib. 7. & 8. per 101. ubi de dispensationibus matrimonialibus doctae secundum stylum Curiae Romagiae. Videri etiam possunt modetani, cum sequentes Reiff. hic in appendice, Schmalz sit. de matrim. contr. §. 4. & seqq.

§. I.

Quis dispensare possit in Impedimentis matrimonii.

1. Q. I. An: & in quibus impedimentis Papa dispensare possit? R. 1. Papa dispensare potest in omni impedimento tantum impediens; modo tamen diverso: nam in impedimento juris Ecclesiastici, etiam absque ulla causa, valide dispensat, cum sit conditor juris, c. 4. de concess. praeb. ibi: qui secundum plenitudinem potestatis de jure possunt supra jus dispensare. Ut tamen dispensatio sit licita, plerumque requiritur justa causa. At si impedimentum impediens sit juris naturalis, ut est votum simplex castitatis, religionis, & sponsalium, ad valorem dispensationis requiritur justa causa: tum quia Papa est inferior jure naturali: inferior autem sine justa causa non dispensat valide in jure Superioris Can. 4. inferior. d. 21. c. 16. de M. & O. Clem. 2. de elect. in 6. tum quia ex voto jus quaesitum est Deo, & ex sponsalibus alteri sponso: Papa autem jus tertio quaesitum tollere nequit sine justa causa; ergo. At si justa, & gravis causa adfit, irritare potest consensum in voto, vel sponsalibus datum; cum consensu nostri fiant dependenter ab ejus voluntate, salvaque ipsius auctoritate: qua irritatione facta, indirecte tollitur obligatio juris naturalis, utpote non habentis materiam, super quam cadat.

2. R. 1. Papa dispensare potest in omni impedimento dirimente juris Ecclesiastici: nam hoc jure est Superioris, ut dixi. Et quamvis ad valorem hujus dispensationis absolute nulla justa causa requiratur, si Papa ex plenitudine potestatis velit agere; ad licitatem tamen, & honestatem tanto requiritur causa gravior, quanto gravior est impedimentum, ut dicitur. Talia impedimenta sunt aetas infra pubertatem; modo adfit usus rationis, conditio servilis, cultus disparitas, cognatio legalis, spiritalis, carnalis extra gradum primum lineae rectae, affinitas, ordo sacer, raptus, clandestinitas crimen ex adulterio, vel conjugicidio &c.

3. R. 3. Papa regulariter dispensare nequit in impedimentis de jure naturali dirimentibus matrimonium, ut sunt: aetas usu rationis destituta, impotentis perpetua, consanguinitas in primo gradu lineae rectae, error circa individuum personae, ligamen, seu vinculum matrimonii consummati: nam ad haec relaxanda non constat Papae datam esse a Deo potestatem: Dixi: regulariter; nam duo impedimenta, scilicet ligamen matrimonii rati, & professio religiosa, licet sint juris naturalis, probabilis ab eo relaxari possunt, ut suis locis dixi.

4. Q. II. An Episcopus dispensare possit in impedimentis matrimonii? R. 1. Episcopus in impedimentis de jure Ecclesiastica impedimentibus dispensare potest: ita comm. ex c. 2. de eo, qui cognov. cuius dispositionem extendi ad cetera impedimenta impediencia declarat consuetudo fere omnium Ecclesiarum, excepto interdicho, quod Superior Episcopo possit. At in impedimentis de jure naturali impediendibus Episcopus dispensare non potest, puta in voto perpetuae castitatis, religionis, & sponsalibus: nam tale votum est Papae reservatum in Extrav. 5. de penit. int. com. jus vero quaesitum ex sponsalibus inferiori principe Ecclesiastico tollere nequit. Unde stante justa causa, licet Episcopus fundere possit, ut v. g. sponsa remittat jus suum, tamen ea renuente, illud jus ex sponsalibus quaesitum cassare nequit, sed opus est recurru ad Papam. Votum continentiae imperfectae, v. g. continentiam ad certum tempus, non nubendi, factos Ordines suscipiendi: item votum conditionale, & poenale, relaxari potest ab Episcopo, cum non sit reservatum, ut dixi lib. 3. sit. de voto. Item in casu necessitatis, dum res moram non